

9755

No: 779  
1761, 6.

D E

DIFFERENTIA CONSVETVDINIS

PRAETER ET CONTRA IVS

INTRODVENDAE

ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS

C O N S E N S V

P R A E S I D E

D. HENR. GODOFREDO BAVERO

S V P R E M . C V R . P R O V I N C I A L . E T C O N S I S T .

L I P S I E N S . A D V .

I N A V D I T O R I O I C T O R V M

D. XIV. AVG. A. C. M D C C L X I .

D I S P V T A B I T

C A R O L V S G O T T H E L F F F R I T S C H E


N E O H V S . M I S N .

---

L I P S I A E

E X O F F I C I N A L A N G E N H E I M I A .





§. I.

Subscripti nuper DONELLI sententiae affir-  
mantis, decennii lapsum Iure Ciuali, modo  
salua sint reliqua, vim legis afferre consue-  
tudini. Neque tamen omnino subscripti.  
Ut tantum hanc sententiam admitti regulae instar posse  
putarem, aequem minus, ac alias, ab exceptionibus immu-  
nem. Attuli aliquam, eandemque ex I. 2. C. quae sit  
long. consu. petitam. Et, si recte intelligo, leges et ratio  
iuris resistunt, quominus, hanc esse vnicam, mihi persua-  
deri patiar.

§. II.

Vidimus, CONNANVM propterea negare, ex ob-  
seruantia decem annorum ius fieri posse, quod non lon-  
gam solum, verum longaeuam alibi, alibique inueteratam  
dici consuetudinem deprehendimus. Et quanquam ei  
haud concedo, ex his diuersis consuetudinis praedicatis  
id consequi, quod nunquam introducenda consuetudini

Refutatur  
Connani sen-  
tentia putan-  
tis, inueterata-  
tam esse debe-  
re omnem con-  
suetudinem.

## IV

decennium sufficiat, verum potius immemorale tempus, certeque centum anni requirantur, aequem minus tamen puto, DONELLVM huic obiectioni satis occurere, dum dicit, sufficere, quod longam quoque appellari in legibus consuetudinem ac diuturnam videamus, et quod sciamus, decem annorum tempus hisce dictiōnibus denotari.

## §. III.

*Refutatur  
Donelli sen-  
tentia, qui exi-  
stimat, semper  
decem anno-  
rum consuetu-  
dinem ius con-  
stituire.*

Nec enim id nobis vñquam Donellus persuadebit, neque etiam profecto id agit, vt nobis contra loquendi usum persuadeat, decem annos obseruata longaeua dici vel inueterata posse, et esse dicta a iuris Romani conditoris. Quo posito, non appetet, cur inueteratam exegerint et longaeuam consuetudinem, si decem anni omnino et semper vim legis afferre consuetudini valerent. Neque profecto intelligo, cur eandem rem tam diuersis longeque alia denotantibus appellationibus signauerint, si non demonstrare fuit animus, pro diuersitate rationis alia atque alia de consuetudinis terminis habenda esse, interdum ius nullum intelligi, nisi inueterata sit consuetudo, interdum longam eam ius constitueret.

## §. IV.

*Probatur, di-  
stinguendam  
esse inter con-  
suetudinem  
praeter, et  
contra, ius in-  
troducendam.*

Mea igitur sententia haec est: distinguendum esse inter consuetudinem in constituendo iure nostro versantem, eandemque iuri constituto contrariam, siue, prout loqui solent, inter consuetudinem praeter, et contra, ius. Illam, si modo exemplorum publicorum et frequentium similitudo commendet, clapsō decennio vim iuris obtinere statuo, hanc vero minus. Quo iure, quaue iniuria, ita statuam, videbimus.



debimus. Scilicet non soli iuris rationi, verum legibus et iam ipsis earumque interpretationi, hoc esse consentaneum existimo. Audi **V L P I A N V M** in l. 33. D. d. **L L. diuturna consuetudo pro iure et lege in his, quae non ex scripto descendunt, obseruari solet**, quod idem est, ac si dixerit, quam rem, tacente expressa lege, consuetudo aliqua, certe decem annos continuata, tuetur, oportet iustum habere. Quod si **Vlpiani** haec fuisse mens, ut putaret; operari quicquam contra legem scriptam diuturnam consuetudinem posse, lubens fateor, me non intelligere, cur haec verba apposuerit: in his, quae non ex scripto descendunt, siue, quod idem est, qua ratione, respectu eorum, quae legi scriptae insistunt, vim iuris consuetudini contrariae et recentiori denegare potuerit.

## §. V.

At vnius, inquis, positio, secundum vulgare illud **Phi-losophorum**, non est alterius exclusio. Quod praeceptum et si impugnare non est animus, nego tamen, hoc pertinere, ut potius existumem, locum ei tunc in primis esse concedendum, si de re aliqua speciatim disceptatur, quaeque de ea affirmantur, non affirmantur ea mente, ut generalia quaedam proponantur praecepta, sed solum, ut pateat, quid de re subiecta verum vel iustum sit. Hic verum est, quae de re illa speciali praedicantur, ad alias etiam species, eidem generi subordinatas, pertinere posse. Quod si vero is est animus, ut generalia quaedam praecepta proponantur, qui est absque dubio **V L P I A N I** in cit. l. 33. tum nego, dici posse, vnius positionem non esse alterius exclusionem, ut potius ex hoc ipso, quod diserte alterius speciei mentio-

*Argumentum  
ex l. 33. D. d.  
LL. sumptum  
impugnat, et  
alii rationibus confirmatur.*

CUNO

A 3

facta



facta est, apparere putem, de altera contrarium esse habendum. Et, qui aliter statuit, sane concedit, taciteque affirmat, restrictionem sive limitationem inanem esse adiectam, quod, nisi probari potest, credendum haud est.

§. VI.

*Aliis legibus  
eadem sententia conformatur.*

Deinde etiam HERMOGENIANI responsum, quod l. 35. D. eod. fistit, nostram cit. leg. 33. interpretationem confirmat. En ipsa ICti verba: *Sed et ea, quae longa consuetudine comprobata sunt, ac per annos plurimos obseruata, velut tacita ciuium conuentio, non minus, quam ea, quae scripta sunt, iura, seruantur.* Quis negauerit, hoc loco HERMOGENIANVM de rebus consuetudine, non iure scripto, probatis loqui, praesertim, cum compilator ei proxime illud PAVLI iunxerit: *imo magnae auctoritatis hoc ius habetur, quod in tantum probatur, ut non fuerit necesse, scripto id comprehendere.* Magis hanc meam sententiam IULIANVS confirmat, qui, oblata quaestione, an abrogari contraria consuetudine lex scripta patiatur, non de longa hoc affirmat, verum de inueterata, consuetudine. Si igitur ex his patet, scriptam legem longa consuetudine non tolli, quae demum consuetudo hanc vim producat, et ex quo tempore inueterata dicenda videatur, forte difficilius expediendum erit.

§. VII.

*Adduntur alia ex ratione et oeconomia iuris petita argumenta.*

Neque tamen minus de ea re constabit, modo id quoque praestiero, ut alteram probationis meae partem addam, qua ostendam, pariter iuris rationi, ac scriptis legibus, nostram sententiam respondere. Nemo ignorat, quae contra

contra formam legibus definitam expediuntur, nulla plane-  
que infecta haberi. Hinc, quia natura negotii, et leges li-  
beram exigunt nubentium voluntatem, nullum intelligitur  
coniugium, quod quis inire coactus fuit, l. 22. et 28. D. d.

**R. N.** Et in genere, si qui aduersus ea, quae constituta  
sint, inierint, nec virum, nec vxorem, nec nuptias, nec ma-  
trimonium, nec dotem intelligi, diserte **IUSTINIANVM** con-  
stituentem legimus in §. 12. I. d. *Nupt.* Hinc ipso iure nulla  
est donatio non insinuata iudicio, quae superat quingentos  
solidos, quod tamen de excessu tantum, non de integra do-  
natione, quia utile per inutile vitiari non debet, velim in-  
telligas. Quis non intestatum deceperit, etiam si testamen-  
tum scripserit, excepto militari peculio, dixerit filiumfami-  
lias. Quem fugit, nullius esse momenti patris, qui neque  
heredes, neque, allegata iusta causa, exheredes scripsit liberos,  
testamentum. Et quae sunt innumera id genus alia. Verbo,  
quaecunque contra legis dispositionem suscipiuntur, nulla  
sunt, nisi lex diserte a poena nullitatis immunem dixerit  
actum illegitimum, aliudque suppeditauerit, ad rescissionem  
eius impetrandum, remedium, prout nouimus, promisso-  
rem vi coactum doloue inductum non ipso iure immu-  
nem esse ab obligatione, verum exceptione demum oppo-  
sita rescissionem eius impetrare.

### §. VIII.

Cumque adeo, quod probasse mihi videor, contra legem suscepta vitio nullitatis laborent, et non entis, pro-  
ut Philosophi loquuntur, nullae sint affectiones, non intelli-  
go, qua ratione actus illegitimi, et si publice, frequenter, eo-  
demque

*Ex iisque pro-  
batur, quando  
ius scriptum  
contraria con-  
suetudine ceu-  
sendum sit ab-  
rogatum.*



denique semper modo suscepti fuerint, id efficere valeant, ut consuetudinem constituant, eandemque contra ipsum ius, in cuius fraudem suscepti fuere, et ex quo dicuntur nulli, valitaram. Vnde colligo, consuetudinem contra ius tum demum enatam esse, si actus ii frequentes, publici, continui, et uniformes, quos ad constituendam consuetudinem legitimam exigunt leges, contra eius, quem ius scriptum protegit, actionem, praescriptione interueniente sustinentur, nec ante elapsum praescriptionis tempus contrarius secundum praecelta legis fuit gestus. Ex quo consequitur, pro diversitate obiecti, circa quod ius eique aduersa consuetudo versatur, et pro temporis, quod actus similiter gestos intercessit, interuallo, eiusmodi consuetudinis terminos, ex quibus vim iuris nocte esse intelligatur, esse constituendos, semperque longius triginta annis tempus esse necessarium, et plerumque ne id quidem sufficere. Quod vero per tanti temporis spatium obseruatum est, minus dubium erit, longaeum inueteratumque dici posse, cum ipse Imperator IVSTINVS in l. 7. §. 3. C. d. Praescript. XXX. vel XL. annor. triginta vel quadraginta annorum longaeuam praescriptionem dixerit. Videtur mihi, quae adduxi, argumentis tantum inesse ponderis, vt, licet ab excogitandis nouis distinctionibus, quae ius nostrum, satis per se fusum, fusius, adeoque quodammodo difficilius reddunt, abhorream vehementer, hanc tamen admittere, et iuri nostro consentaneam defendere, nequaquam dubitem.




**ULB Halle**  
007 114 605

3



WONR





D E

DIFFERENTIA CONSVETVDINIS  
PRAETER ET CONTRA IVS  
INTRODVENDAE  
ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS  
CONSENSV  
P R A E S I D E

D. HENR. GODOFREDO BAVERO

S V P R E M . C V R . P R O V I N C I A L . E T C O N S I S T .  
L I P S I E N S . A D V .

I N A V D I T O R I O I C T O R V M

D. XIV. AVG. A. C. M D C C L X I .

D I S P V T A B I T

C A R O L V S G O T T H E L F F F R I T S C H E

N E O H V S . M I S N .

---

L I P S I A E  
E X O F F I C I N A L A N G E N H E I M I A .

